



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCXC.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

quod uno loco pro comperta veritate habetur, ubique pro tali habendum est. In quo demonstrando latius non insitimus; quia est communis & recepta Doctorum traditio, *de i. m. d. l. i.* Quando itaq; perentatis omnibus angulis tot modis sustinetur hoc Roberti testamentum; quando nihil occurrit, unde impugnari, enervari, vel everti possit, inhærentes regulæ, quod intestata successioni locus non sit, stante testamento; arbitramur Actorum vindicationem & petitionem ex causa intestata successione, nullo iure stare aut sustineri posse: atque ob id Dominorum Iudicum partes esse, ut secundum Reos per omnia iudicent, tam quoad expensas, quam principale.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Querela inofficiosa an parenti competat contra dispositionem filii clerici.

1. Querela inofficiosa competit parentibus contra testamenta filiorum secularium.
2. Querela inofficiosa non datur parentibus contra testamenta filiorum clericorum.
3. Legum correctio in dubio non facile inducenda.
4. Privilegio speciali non censetur derogatum per generalem derogationem.
5. Legitime portioni quæ impotentur.

CONSILIVM CCCXC.

QUAMVIS duce, & præeunte Bartolo, in *Auth. Ex causa nra. 13. C. de liber. præterit. vel exheredat. Salicetus, in d. Auth. Ex causa nra. 18. & plerique alij, quos recenset Did. Covar. in l. Quia nos nra. 7. De testam. Viglius in §. in illis testam. De milit. testam. eum eo existimant, & testamenta d. filiorum familias de castrensis, aut quasi castrensis bonis, condita, si in eis liberi aut parentes præteriti, aut sine iusta causa exheredati sint, subiacere querelæ inofficiosa testamenti, abrogatâ priore Iustiniani constitutione, l. fin. C. de inoff. testam. quæ eorum huiusmodi testamenta querelæ inofficiosa subtrahit, per posteritorem ejusdem Iustiniani novellam constitutionem, *Novel. 115. §. si istam vers. si tales & c.* unde de appel. cognoscit, quæ generaliter & indistincte omnium liberorum testamenta ex huiusmodi præteritionis vel exheredationis causa parentum querelæ subijci, imò nulla voluit esse; idque nulla adhibita distinctione inter filios familias & patris familias, juris naturæ constitutione extensa, & porrecta ad omnia bona, de quibus liberi testamenti rationem habent, inter quæ proculdubio annuerari debent etiam bona castrensis, seu quasi castrensis, quæ filiorum familias propria sunt; idemque Salicetus eam juris correctionem seu transformationem existimet perinde locum habere in clericis de huiusmodi suis bonis testamentibus, ut de alijs quibuscunque; circumscripta & abrogatâ Leonis, l. *Sacrosancta. C. de Episcopis & clericis.* atque etiam alijs, plius Iustiniani, in l. *Cum lege De Episcopis & clericis.* constitutionibus sic permittit rebus Presbyteris & clericis liberam testandi facultatem, in d. l. *Sacrosancta;* quæ est ex Leonis constitutione, ut nec querelæ inofficiosa subijciatur; quod privilegium Iustinianus illis*

adiecit, d. l. *Cum lege;* & horum auctoritate movet Did. Covarruvias, in d. l. *Quia nos nra. 7.* in eam quoque partem inclinare videtur, aperte tamen sequi non audeat, veritus dimittaxat nimiam clericorum etiam primæ tonsuræ frequentiam & huiusmodi tonsuræ obtinendæ nunc frequentiam facilitatem; & sic ex istorum sententia improbari videatur Accursij Glossatoris sententia, in *Auth. Presbyteros in verb. serant. C. de Episcopis & clericis. Presbyteros, Novel. 123. de sanctiss. Episcopis.* à multis etiam probatâ, *Frederic. de Senis consil. 57. Videtur mihi;* qui aliam adhuc posteriorem Iustiniani constitutionem, *Frederic. de Senis consil. 57. Videtur mihi,* de libertate presbyterorum, diaconorum, ac clericorum in condendis testamentis sic restrictâ, ut parentes legitimam partem in eorum bonis serant; sic interpretantur, ut non per querelam inofficiosa, sed per conditionem ex lege hanc legitimam consequantur; & sic eorum testamenta ipso iure omnia valeant solâ legitimâ parentibus salva; * propius tamen & exactius ad Leonis, & Iustiniani præscriptas constitutiones advertendo, verius & Iuri communi magis consentaneum videtur, Presbyterorum Diaconorum, & generaliter omnium clericorum, non tantum eorum, qui filios familias sunt; & sic quâ castrense peculium habere possunt; verum etiam quorumcumque testamenta in eo privilegiata esse, quæ querelæ inofficiosa aut vitio nullitatis subijci non possint; atque ita adhuc in suo robore perdurent Leonis, & Iustiniani prædictæ constitutiones, in specie de clericis loquentes, d. l. *Sacrosancta;* d. l. *Cum lege;* solâ cā restrictione, ex novissima Iustiniani constitutione, d. l. *Presbyteros;* additâ, ut in bonis horum liberorum parentes semper legitimam partem habent; non etiam ex anteriore, seu media Iustiniani constitutione, d. *Novel. 115. §. si istam vers. si tales;* ius dicendi nullum aut proponere de querelâ inofficiosa, ut illius potestas sit dimittaxat contra testamenta liberorum, qui laici, non clericali sunt conditionis; * ut juris correctio, quantum fieri potest, semper vitetur; & concedenda in Iuristica Iurisprudencia quam maxime servetur. *Glos. in verb. petere. C. Curiales §. quod si per viginti De elect. lib. 6. l. 1. in l. dicitur nra. 16. C. de milit. testam. Socinus Nepos consil. 131. Quæstio proposita nra. 56. vol. 1. & in dubio ex indeterminto sequente, in posteriore Iuris constitutione, non censetur derogatum illi, quod in specie & maxime quod contra regulas Iuris communis ex privilegio in certo casu constitutum est; & maxime quod corpori juris communis includitur invenitur, l. 3. & ibi glos. 1. c. De sile. & de iur. iur. l. 12. Et enim generalia privilegia facilius tollantur, alioque propiusque gestari possunt, non tamen perinde etiam censetur in dubio, & in generalibus terminis, derogatum specialibus juris privilegiis constitutionibus, *Alvar. ad l. c. de Episcopis & clericis. C. l. i. & c. de Presbyteris & clericis.* universis, non filijs tantum, hoc tantum per speciale privilegium Leonis & Iustiniani, ut de omnibus bonis suis proprijs liberam habeant testandi potestatem; d. l. *Sacrosancta;* etiam Iustinianus sic amplificat, in d. l. *Cum lege;* ut non subijciatur querelæ:*

relæ: à ratione prorsus alienum est, hoc privilegium clericis solis in specie concessum, censeri sublatum per generalem sequentem constitutionem hujusmodi querelæ subicientem liberorum in genere testamenta; sed ob id ad eos liberos, qui clerici non sunt, referri & restringi debet.

Vnde etiam est, quod Bartolus dictæ opinionis de liberorum testamentis querelæ subicientis assertor, & qui etiam ferè sequuntur, non de clericis filij, vel patrisfamilias testamento loquantur; sed in genere & indeterminatè de testamento filij pagani seu laicæ conditionis, secundum Iustiniani constitutionem generalem, generaliter & indefinitè loquentem, de liberis, hoc est, laicæ, non privilegiatæ seu Ecclesiasticæ conditionis. Quam sententiam seu opinionem, quamvis præfatus Covarruvias nimis timidè aperto ore sequi non audeat, communius tamen, ex sententia Baldi, Jacobi Butrigarii, Panormitani, & quorundam aliorum, illam receptam esse agnoscit, in c. *Quia nos* nu. 7. & ab illa recedere tentat non satis concludente aut urgente ratione; desumptà ex nimia frequentia, & multitudine clericorum etiam primæ tonsuræ. Quæ tamen ratio eum movere in omnem eventum non debebat; ut exilimaret etiam testamenta Presbyterorum & Diaconorum perinde querelæ esse subiecta adversus tam expressum illorum, Corpori juris inclusum, privilegium.

Quæ cum ita se habeant, & in juris æquitate prævalere exilimemus, non possumus non Probare, quæ Consultissimæ Domini Doctores & Professores Universitatis Duacensis eleganter, acutè, & exactè scripserunt pro testamento Venerabilis D. Joannis Liebaerts Presbyteri, Canonici, & Cancellarii Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis: quo præteritâ Domicellâ Magdalênâ de Cambin suâ matre, plura legata in diversas pias causas, & præsertim pro subventionem Societatis Iesu, & introducenda, excitandaque Patrum ejusdem Societatis in instituenda & erudienda juventute, diligentia & assiduitate, reliquit; permitta eadem matri dumtaxat legitimæ suæ portionis detractio seu profectio. Id quod non tam ex necessaria juris ratione, in cujus scrupulositate, & exactiore ratione, non improbabiliter cum Ludovico Romano, & Iafone, in d. l. *Sicut*, sustineri posset, ne quidem hanc legitimam adversus talem filij dispositionem matri permittendam esse; quam quod præfati Domini præconsulti dictique Patres, id & humanitatis commiseratione, & litis abrumpendæ causâ magis, quam ex juris necessitate liberaliter permittunt. Et sic quidem ut quæcumque ex adverso pertentatis omnibus angulis pro intentione matris admodum prolixo & verboso scripto pro subversione dicti testamenti in medium proferuntur, ex consideratione dictæ privilegiatæ conditionis Clericorum, & specialius Presbyterorum, d. l. *Sacrofanctæ*, d. l. *Cum lege*, quorum ordine fuit hic testator, facitè corruant & subvertantur, ex prædictis causis & rationibus, alijsque exactissimè & acutissimè per præfatos prius consultos deductis, quibus ab earum molesta repetitione abstinens, simplici & absoluta approbatione & subscriptione juris veritate victi, lubenter accedimus. Et

quidem tantò proclivius, quod hæc causa non veretur nec consistat in simplici, sed composita themate; hoc est, non in indifferenti, minimeque privilegiata Presbyteri seu Clerici dispositione, continente vulgarem, communem, minimeque favorem de bonis suis ordinationem; sed de testamento Presbyteri ad pias, & maxime favorabiles causas. Ita ut in consensu duplicis privilegij, ex conditione personæ testantis & causarum, in quas testator dispositionem suam contulit, à regulis Juris communis recedendo, ut facile sit ob favorem piarum causarum, præsertim in sustinendis ultimis voluntatibus, *Tiraquel, de pia caus. priv. 14 & 15*, merito dici & sustineri possit, hoc hujus testatoris testamentum etiam jure subsistere, & satis matri indulgeri, quod sine controversia illi permittatur ex bonis filij legitimæ deductio, *Glossa in d. verb. servari*.

In quam legitimam matris in primis imputari debent quæcumque ex necessitate vel ordinatione alicujus consuetudinis, aut legis municipalis, testamentariæ dispositioni subijci non potuerunt, & ab intestato ad matrem seu quemcumque alium hæredem deferri debent. Nihil enim interest ex iudicio testatoris, an ex auctoritate & dispositione Juris sive communis, sive consuetudinarij vel municipalis, cui legitima debetur, illam habeat: debent enim ea omnia in legitimam imputari; & quidem priori loco, antequam ex dispositis à testatore aliquid detrahatur, l. *Omnimodo* §. *imputari* C. *De inoffic. testam.* Vnde est, quod bona feudalia, item emphyteutica, & alia, de quibus non est libera testandi facultas, huic imputationi subijciuntur, *Bart. in l. 4. Ad leg. falc. Castren. consil. 441. Pro declaratione vol. 1.* item lucrum dotis, quod quoties superstes parens transit ad nuptias, liberis prioris matrimonij servari debet; nec potest superstes de illo disponere, l. *Femina*, l. *Hac editali* C. *De secund. nupr.* interim liberis in partem debitæ legitimæ cedit, nec istud habent illi præcipuum ultra legitimam, *Castren. consil. 108. Dubitatio præsentis vol. 2. Alex. cons. 27. Videretur prima facie, & consil. 158. Circa primum vol. 5.*

Ex qua consideratione sine negotio subvertuntur, quæcumque operose ex consuetudinibus seu legibus municipalibus Comitatus Flandriæ, territorij Tornacensis, aliorumque locorum in medium pro matre adducuntur, de impedita vel restricta potestate testatoris quoad quædam ipsius bona. Præsupposito enim (non tamen concessio) quod juris communis dictum privilegium Presbyteris & Clericis concessum, non extendatur ad hæc alieni consuetudini, vel jure subiecta bona; semper & in omnem eventum imputari debent legitimæ, quam patres (ut iam diximus) ex humanitate magis, quam juris necessitate matri permittunt. Ut scrupulosius inquirendum vel disputandum non sit, an testator de omnibus suis bonis undecumque acquisitis vel obvenientibus ex æquo in præiudicium suorum hæredum ab intestato testari potuerit. In quo tamen versatur pro maxima parte labor illius, qui pro matris assertionem, & intentionem consuluit & respondit, sed sine magno fructu; ut satis exactè etiam per dictos præconsultos deductum est, quos in eo quoque propensè sequimur.

De Te-